

Ad hujus conjunctionis rationem explicandam varia systemata induxerunt philosophi et physiologi, que diversis hypothesis circa sedem animi coaptarunt.

1^o Cartesiani existimarent nervulos, instar cordarum vibrantium, impressionem objectorum ad cerebrum deferre. Sed hujus opinionis falsitatem anatoma jam demonstrat: nam nervi, 1^o tensi non sunt, sed laxi, 2^o in extremis suis partibus non sunt affixi, nequο soliditate gaudent, 3^o mediis non sunt liberi. Ergo vibratio est plane impossibilis.

2^o Alii existimant fluidum quedam nerveum a cerebro elaborari organis necessarium, etc. (II, 129).

Sed istae hypotheses in Psychologia ad exiguum momentum prosunt.

II. De sensibus internis.

105. — Quatuor sunt, ut modo diximus, anime sensitivae interiores vires: sensus communis seu internus, phantasia seu imaginatio, estimativa seu cogitativa, et memorativa.

1^o *De sensu interno.* Præter sensus externos, qui in objectorum exterorum notitiam nos adducunt, habemus etiam facultatem qua sensations externas ut nostras experimur, earumque diversitatem advertimus. Nam, ut ait S. Thomas, « non solum album a nigro, vel dulce ab amaro, sed etiam album a dulci, et unumquodque sensibile discernimus ab unoquoque, et sentimus quod differunt. » Hinc existit in nobis facultas quedam sensitiva a quinque sensibus externis diversa, quæ tamen cum ipsis intimam habet communicationem. Ille sensus, enijs existentiam experientia clare patetfacit, nuncupatur *sensus internus, sensus communis*, aut etiam *sensus intimus*. Resipicit facta interna, omnes operationes sensuum exterorum, quas referunt tanquam in subjecto sentiente acta existentes.

Sed in factis internis duplex distinguitur ordo, numerum, 1^o facta quæ sunt solius animi propria, actus nomine intellectus et voluntatis, 2^o affectiones totius compositi. De sensu illo interiori, quo sentimus actus quorum subjectum est compositum, hic agitur. Sensus intimus superior dici

METAPHYSICA SPECIALIS. — PSYCHOLOGIA. 97

nequit sensus propriæ dictus, ideo quia est facultas mere spiritualis.

106. — *Thesis I. Sensus internus est sensus proprio dictus, seu facultas organica.*

Nota. Quidam, contra quos thesis stabilitur, confundunt sensum internum cum cognitione intellectuali qua anima scipsem cognoscit, et exinde realitatem hujus sensus negant.

Probatur 1^o *Sensus internus sensations concrete* seu quatenus sunt subjecti corporis affectiones percipi; atqui res concreta in subjecto corporeo nonnisi a facultate aliqua organica percipi potest. Ergo sensus internus est facultas organica, seu sensus proprio dictus.

2^o Bruta persentienti etiam modifications internas, v. g. dolorem et voluptatem, seu habent sensum internum. Atqui brutis non insunt nisi facultates organicas. Ergo.

107. — *Thesis II. Perceptio sensus interni perceptiones sensuum externorum consequitur.*

Probatur. Sensus internus versatur circa modificationes seu affectiones subjecti, nempe circa vitam corpoream in actu secundo; atqui vita sensilis in actu secundo, seu operatio vitalis, quæ exercitium sensibilitatis internæ præveritat, nonnisi a sensibus externis profici potest. Ergo sensus internus exercitium sensibilitatis externæ supponit.

108. — *Thesis III. Sensus intimus subjectum sentiens quoque attingit.*

Probatur. Sensus internus affectiones subjecti sentientis concretas, non abstractas attingit; atqui attingere affectiones concretas, seu ut in re sunt, non est eas percipere sine subjecto. Ergo sensus internus percipit etiam subjectum ipsum, seu proprias affectiones cum sensu sui ipsius simul advertit.

109. — *Thesis IV. Sensus internus haberi potest ut basis et radix aliorum sensuum.*

Probatur. Tanquam centrum sensibilitatis haberi potest

ea facultas in quam confluunt omnes sensations; atque sensus internus omnes sensations, quibus afficitur subjectum sentiens, experitur et refert. Ergo sensus interior, ut ait S. Thomas, « est communis radix et principium exteriorum sensuum. » Igitur vis sentiendi, quæ in singula sensoria diffunditur, ad sensum internum terminatur, qui omnes immutaciones organorum singularium referat.

170. — *Corollarium*. Hinc organum hujus facultatis, que ita in omnia sensoria diffunditur, aut saltem cum iis communicat, non potest esse nisi totum systema nervosum.

171. — *De imaginatione*. Quisque sibi conscius est se non modo experiri praesentes suas affectiones, sed etiam easdem post diuturnum tempus instaurare, ut praesentes relegere, atque varie componere posse: v. g., imaginari possum ædificium quod vidi, dolorem aut gaudium quod olim expertus sum; possum etiam effingere chimaram, montem aureum, oto. Est igitur in homine virtus reproducendi sensations antea habitas, easque variis modis dividendi et componendi. Hæc facultas *imaginatio seu phantasias appellatur* (1), dum imagines quas effingit, *phantasmata nuncupantur*.

Verum nonnulli auctores per *phantasiam* intelligent eam facultatem, que ex perceptis speciebus varia format simulacra uniuersi aut dividendo species rei per sensus externos apprehensas, dum *imaginatio* munere duxata fungeretur percipiendi objecta absentia, et quasi praesentia representandi.

Reproductio phantasmatum in homine quandoque est *naturalis*, quandoque *quaesita*, ut omnes per experientiam propriam nōn rurunt. Hoc dupli modo fieri etiam potest compositione aut divisione phantasmatum: fit sponte in somnis, in delirio, sed dirigente intellectu et imperante voluntate in operibus arte factis. Hinc quando rationis jugum penitus excutit phantasia, omnia phantasmata sponte flunt, quæ ut objecta realia habentur; et sic gignitur delirium videmtia.

172. — Causa que reproductionem phantasmatum faciliorem reddit, est *attentio et associatio*. 1^o Gradus quidem

(1) S. Th., I, p. q. a. 4; 78, de anima, a. 13.

intensus attentionis adhiberi debet huic perceptioni quam revocat imaginatio; nam affectiones que nos nulla adhibita attentione afficiunt, statim prætervolant, et exinde imaginatione difficulter revocantur; sed quando affectiones animum valide percellunt, alium in phantasia relinquunt vestigium; quamobrem earum phantasmata facilis redintegrantur. Igitur quæ viridior fuit attentio, eo facilior evadit excitatio phantasmatum.

2^o Præterea ad phantasmata revocanda maximo juvat associatio representationum sensibilium; dum enim duo nectuntur phantasmata, præsentia unius alterum statim evocat.

Associatio phantasmatum, sicut et idearum, duplex esse potest, nimirum *objectiva et subjectiva*. Dicitur *objectiva* quando representationes, que sunt in animo, eamdem habent ad invicem relationem quam habent objecta sensibilia: v. gr., arbor et flores vel fructus, ignis et adustio. Nexus dicitur *subjectivus* quando quadam constat inter sensations relatione, que inter objecta ipsa non existit, ut cum, v. g., sensations rerum planè disparilium fuerint simultanea ut sibi succidentes. Ex: si quis, dum loquebatur cum tali persona in morbum statim incidisset, phantasmata hujus personæ et talis aggritudinis associeruntur.

173. — *Imaginatio* est facultas organica ejus sensorum est cerebrum. *Imaginatio* enim reperitur in brutis animalibus quo facultatibus organicis duntaxat fruuntur. Præterea nonnisi circa res corporeas, extensas, coloratas, figuram habentes, etc., versatur. Ergo non potest esse nisi facultas organica.

At licet ad sensibilitatem pertineat phantasia, intimo tamen nexo haec facultas colligatur cum ipsa intelligentia, ut experientia clara demonstrat: nam phantasma continuo consequitur intelligentiae actionis; et vicissim statim ac idea est in mente, illiè imaginatio hanc ideam induit forma sensibili. Causa tam arcta inter utramque facultatem colligationis oritur ex ipso nexo animæ et corporis; nam imaginatio, que est nobilior omnibus sensitivis facultatibus, propinquius accedit ad ipsum intellectum, qui est facultas ordinis superioris. Hinc intime existere debet

nexus inter intellectum et imaginationem, quam inter intellectum et crassiores facultates ordinis inferioris.

174. — 3^o *De memoria sensitiva*. Est etiam in homine virtus seu facultas retinendi sensationes antea habitas, quas in se continetur tanquam olim a se habitas. Hac facultas dicitur memoria sensitiva. Memoria enim potest non esse nisi simplex recognitio sensationum praeteritarum, et tunc dicitur *sensitiva*; potest etiam esse recognitio operationum spiritualium, et tunc dicitur memoria *intellectiva*. Memoria sensitiva ab imaginatione differt quantum recognitionem importat, non autem simplicem reproductionem.

Memoria haec quae representant sensationes praeteritas, est facultas organica, nam 1^o reperitur in brutis; sic, v. g., canis candem domum non ultrè ingreditur, in qua se baculo percussum fuisse recordatur: sic avicula remiscuntur nidorum, etc. 2^o Hæc facultas non versatur nisi circa res sensiles et corporeas.

Reminiscentia, quæ est recordatio rei praeterita cum inquisitione quadam, a memoria differt in quantum 1^o *praeterita* meminisse dicimus, reminisci verò *oliti*; 2^o memoria versatur circa praeterita acta simplici, reminiscitiva verò, cum inquisitione; unde reminiscientia hominibus solum competit, idèo quia discursum quendam rationis importat, et exinde solam memoriam intellectivam comilitatur.

175. — 4^o Id quod ad *astigmaticam* pertinet, praetermitius, idèo quia in homine minus propriè reperitur, saltem tanquam facultas distincta et ordinis mere sensili; ratio enim in homine objecta cognoscit ut proficia aut nociva, utilia aut inutilia, jueunda aut molesta, quando sensus illud discrimen non secerunt.

III. De appetitu sensitivo.

176. — Omne ens naturale aliquam habet inclinacionem qua ad proprium bonum dirigitur. Hæc inclinatio potest ab externo impulsu determinari: v. g., directio gravium ad centrum terre, et hic appetitus rerum cognitione carentium dicitur *naturalis*. In entibus quæ cognitione pollent, hic motus determinari potest ab objectis

que cognoscuntur ab hujusmodi entibus; hæc inclinatio dicitur appetitus *elicitus*, qui solum propriè appetitus dici potest.

Appetitus elicitus est vel *intellectivus* vel *sensitivus*, prout ejus bonum a sensu vel ab intellectu apprehenditur. Hinc cognitionem sensibilem sequitur appetitus sensitivus, cuius objectum est bonum sensibile, et cuius actus vocantur passiones.

177. — THESIS I. *Est in homine appetitus sensitivus.*

Prob. Conscientia testatur nos constanti propensione sollicitari ad res sensibles et corpori congruentes nobis procurandas, etiam si res ejusmodi appetitus rationali reluctantur, iuxta verba S. Pauli: *Caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus aduersus carnem.* Atqui hæc propensio, seu facultas quæ tendit in res ejusmodi, est id quod nuncupatur appetitus sensitivus. Ergo existentiam hujus facultatis renuntiat conscientia.

178. — *Schol.* Hic appetitus quatenus rationis dictamin conflitetur, eui tamen non semper reluctatur, *sensualitas* dici solet. Hinc motus appetitus sensitivi, qui passiones appellari solent, in bonam vel malam partem trahere possunt.

179. — THESIS II. *Appetitus sensitivi subjectum est compositum ex anima et corpore.*

Prob. I. Ut experientia constat, omnes passionum motus cum aliqua immutatione organorum semper conjuncti sunt, præsternim cordis, quod appetitus sensitivi principis organum esse videtur; atqui facultas quæ consortio organi in agendo eget, organicas dicitur, cuius proinde coniunctum est subjectum. Ergo appetitus sensitivus in composito residet tanquam in subjecto.

II. Præterea appetitus illo versatur circa bonum corporum sibi modo corporeo conjugendum.

III. Varia corporis constitutio, etas, sexus, nutritione, etc., ad certos quosdam actus appetitus sensitivum inflectunt. Ergo hic appetitus est facultas alieui organo corporeo affixa.

180. — *Schol.* Huic probationi non obstat quod appeti-

tus rationalis aliquando organa immutat; nam, ut ait S. Thomas, « proper intensitatē appetitus superioris partis ex quo fit redundantia in inferiore appetitu, » moveri possunt organa, sed mediante appetitu sensitivo. Id aliquando evenit in intenissimo amoris erga Deum actu.

181. — *Appetitus sensitivus divisio.* Appetitus sensitivus, cuius *finis* sunt passiones, in duas quasi partes scindi solet, nimirum in *concupisibilium* et *irascibilium*. Appetitus concupisibilis est inclinatio simplex ad bonum sensibile prosequendum, et ad malum ejusdem ordinis effugendum. Appetitus irascibilis consistit in inclinatione ad resistendum iis omnibus que bonum sensibile impugnant, vel malum ingerunt. Quapropter irascentis objectum dicitur esse bonum *arduum*, et concupiscentis, bonum *delectabile*.

A concupisibili sex orientur passiones seu motus diversi: tres circa bonum, nimirum, *amor*, *desiderium* et *gaudium*; desiderium est boni absentis, gaudium est boni presentis, amor autem versatur circa bonum absolute et secundum se spectatum, id est, nec ut prasens nec ut absens consideratur. Tres pariter circa malum, scilicet *odium*, *fuga* et *tristitia*: fuga est mali absentis; tristitia, mali praesentis; odium, utriusque, seu potius versatur circa malum absolute spectatum. Ab appetitu irascenti quinque pullulant passiones: due circa bonum arduum, nempe *spes* et *desperatio*, et tres circa malum operosè vitandum, videlicet, *audacia*, *timor* et *ira*. Passiones sumptus in hoc sensu sunt meri actus appetitus, ac proinde sunt *physicē bona*; *ethicē* autem nec bona nec malae sunt, nam recessum a rationis regula de se non includunt.

Iste duas partes appetitus, juxta plurimos, consideratione tantum sunt diverse, non autem realiter distingueruntur; inde diversas non constituerent facultates: Objectum enim utriusque appetitus est idem, licet sub diversis aspectibus spectatum; bonum et malum absolute spectata non sunt aliquid realiter diversum a bono vel malo ut arduum spectato; præterea appetitus boni ardui supponit appetitum boni simpliciter. Tamen juxta S. Thomam (1) et alios, sunt potentiae realiter diverse (Cf. II, 157, 158).

(1) I, a. q. 22, r. 1, etc.

§ II. De potentias quarum sola anima est subjectum.

182. — Haec tenus facultates organicas recensuimus, quarum subjectum est compositum; nunc de iis agendum est quae nobiliores sunt, atque inter entia corpora, solius hominis proprias sunt. Potentia enim intellectiva supremam animae partem respiciunt, sou vitam intellectivam. Facultates rationales, sicut sensiles, in cognitivas et appetitivas distribuuntur.

I. De facultatibus cognitivis.

I. De intellectu.

183. — Intellectus est facultas cognoscendi qua verum cognoscimus. Intellectus sumi potest in sensu lato vel in sensu stricto. In sensu lato est ipsa vis spiritualis cognoscendi, que proinde habetur ut principium simplicis apprehensionis, judicii et ratiocinii. In sensu stricto est facultas qua sine mente discursu aliquid apprehendimus: hinc versatur circa simplices apprehensiones et judicia immediata.

184. — THESIS. I. *Intellectus distinguitur a sensu.*

Note. Hac thesis stabilitur contra eos qui de existentiis hujus facultatis item movent, aut cum eum sensu confundunt. Hoc genus philosophorum Sensistas appellamus, quorum praecepi sunt, inter veteres, Empedocles, et inter recentiores, Condillac, Lockius, etc.

Prob. Sensus est facultas 1^a qua per organum corporeum exercetur (II, 152, 160); 2^a versatur circa sensibiles representationes, que sunt tantummodo de rebus singularibus et corporis; 3^a in brutis etiam repertur. Atqui intellectus 1^a est facultas inorganica, 2^a attingit spiritualia et universalia que nihil habent commune cum sensilibus qualitatibus, v. g., jus, Deum, etc.; 3^a est id quo homo a bruto differt. Ergo intellectus est facultas a sensu planè diversa.

Major ex ante dictis patet.

Quoad minorem, 1^a jam ante probavimus intellectum esse facultatem inorganicam (II, 151, 154). Id ceteroquin ex eo constat quod facultas organica non nisi eō se attollere valet quō attingere potest organum cui intrinsecus alliga-

tur; organum enim est instrumentum necessarium facultatis sensibilis, et exinde ea dumtaxat attingere potest talis facultas, que ab instrumento seu organo attinigi possunt. Porro instrumentum materiae profecto attingere nequit immaterialia, ut Deum, angelum, et abstracta, uti necessitatem, possibilitatem, etc.

2º Ex inconcuso conscientiae testimonio scimus nos apprehendere spiritualia, immaterialia, abstracta eaque distinguere, dividere, componere. Ergo facultas que id praestat, seu intellectus, facultates sensiles longe prætergreditur.

Præterea 3º bruta, quæ sensu fruuntur, cognoscere nequeunt nisi corpora et sensibilia: nullam veritatem necessariam apprehendere possunt, nam sensibilia et particularia sunt semper contingentia. Ergo sensus, cuius objectum adæquatum est sensible, ad veritatem necessariam se attolleret non potest, quæ in rebus sensibiliibus reperi nequit unquam.

185. — THESIS. II. *Licet intellectus sit facultas inorganica, extrinsecus tamen a corpore pendet.*

Prob. I. Ex facto constat hominem, cuius cerebrum infelix easu hædatur, aut qui in morbum incidit, febri torqueret, etc., quandoque ad tempus vel reliqua tota vita insanire; atqui noxa corporis non ita intelligentiam operationem conturbaret, si haec facultas a corpore nullatenus penderet. Ergo intellectus a corpore *extrinsecus* pendet: haec enim dependet, *intrinseca* esse nequit, ut constat ex dictis.

Prob. II. Unio animæ et corporis non est accidentalis, sed physica et substantialis (II, 123, 124); atqui unio physica et substantialis expostulat aliquam ordinacionem et dependentiam inter utriusque substantiae vires et operationes. Ergo vires intellective a corpore aliquo modo pendere debent.

186. — *Schol.* Firmitas nexus quo anima et corpus conjunguntur, hanc extrinsecos dependentie mensuram init.

187. — *De objecto intellectus.* Cum intellectus sit potentia passiva quæ moveret antequam se moveat, objectum intellectus duplex distinguiri potest, scilicet *moticum*

et *terminativum*. Objectum motivum seu *objectum quo*, est illud quod movet intellectum ad intelligendum. Objectum terminativum seu *objectum quod*, est id ad quod terminatur intellectus. De hoc secundo in presenti agemus.

At hujusmodi objectum bifariam etiam considerari potest, nimirum materialiter et formaliter (142): 1º objectum materiale intellectus adequare sumptum est omne ens; 2º objectum formale intellectus, seu illud cuius apprehensio ad solum intellectum pertinet, est objecti materialis essentia seu quidditas.

188. — THESIS III. *Objectum quod adæquatum intellectus est omne ens, dummodo rite proponatur.*

Nota. Per objectum *quod* adæquatum illud intelligitur extra quod nihil reperitur quod a facultate apprehendi possit, et exinde complectitur omnes rationes ad quas terminari potest intellectus. In thesi agitur de *objeto quod materialiter et generatim spectato*, scilicet secundum totum extensionem quam habet.

Prob. I. *A priori.* Omne ens est aliquid in se, ac prouidè est aptum ad cognitionem terminandam; atqui intellectus est facultas intelligendi quidquid est intelligibile, atque ei praesens fieri potest. Ergo objectum adæquatum intellectus, si ejus extensio spectetur, est *omne ens*.

II. *A posteriori.* Præterea renuntiatione conscientia constat nos, saltem aliquo modo, intelligere Deum, angelos, nosmetipos, mundum corporeum, sive quod essentiam sive quod proprietates: atqui his continentur omnia quæ rationem entis habent. Ergo quidquid habet rationem entis, seu omne ens, est objectum adæquatum intellectus.

189. — THESIS IV. *Objectum formale intellectus est rerum essentia seu quidditas* (I).

Nota. Per essentiam et quidditatem hic non solum intelligimus notionem speciem rei cognitæ, sed nomine quidditatis venit quilibet ratio communis, etiam maximè indeterminata, puta entis, rei, alicuius, subjecti etc. Ex: Homo apprehendi potest ut ens seu aliquid, ut subs-

(1) S. Th. 1^a q. a. 5. 6; vñ.

tantia, ut vivens, ut animal, ut animal rationale, etc. Hic ergo præscindimus a determinationis gradu.

Prob. Objectum terminativum intellectus *formaliter et exclusivè spectatum*, illud est cuius apprehensio ad solum intellectum pertinet, sicuti, v. g., objectum formale visus in solis coloribus consistit; atqui objectum cuius apprehensio ad solum intellectum pertinet est rerum essentia seu quidditas; nam

1º Cuique manifestum est nos rerum quidditatem percipere, v. g., rationes entis viventis, substantiae, etc., quas sensus non percipiunt. Ergo essentia rerum solo intellectu apprehenduntur.

2º Intellectus, qui est facultas inorganica, res cognoscere nequit modo corporeo; porrò cognoscere res modo incorporeo nihil aliud est quam eas apprehendere secundum id quod sunt, nempe secundum quidditatem, non autem secundum modum existendi in tali vel tali materia.

Denique 3º quod nobilior est facultas cognitiva, eò profundi res apprehendere debet: perfectio enim potentiae stat in perfectione ejus operationis; atqui intellectus est facultas longè altior omnibus sensibus, qui qualitates sensiles seu corticem rerum contentuntur. Ergo intellectus id introspicere debet quod rebus est intimum, nempe essentiam; id est quid ejus etymon ab *intus legendo* deducatur.

Igitur objectum formale intellectus est rerum essentia.

190. — *THESIS V. Pro præsentí vitæ statu, quidditatē intellectui nostro priuā ac per se proportionata, ex sunt que in rebus materialibus relinquent.*

Nota. Thesis exclusionem aliarum quidditatum non importat, quas intellectus per actus reflexos et multiplicies percipit, sed solummodo affirmat objectum *proprium*, seu *prīmō et per se cognitum*, non autem *secundariē et per aliud*, esse quidditatem in materia corporali existentem.

Prob. Objectum proportionatum illud est quod moda existendi potest ad quam refertur, respondet, ac per naturalia media ei prīmō et per se cognoscendum offerunt. Atqui 1º sicut *intellectivum hominis*, ut dicit S. Thomas, *est in sensitivo*, ita quidditas, de qua agitur, in materia cor-

porali existit; una enim eademque est anima que simul intelligit et sentit, ac proinde intellectus, licet sit facultas inorganica, *naturaliter* tamen conjungitur cum facultatibus organicis; itaque si in harum facultatum concursum intellectus res *naturaliter* intelligere non potest; 2º res materiales per sensus intellectui sponte offeruntur ante alias res, v. g., ante angelos, Deum, etc.: imo objecta externa ante seipsum percipit intellectus. Ergo objectum proprium intellectus pro præsenti vite statu est essentia in materia corporali existens.

191. — *Schol.* *Objectum quod intellectus hactenus perspiciunt, sedulo distinguunt debet ab altero termino ejusdem facultatis.* In una enim eademque intellectione, duplum habet terminum intellectus, scilicet *subjectivum* et *objectivum*. Terminus *objectivus* est res cognita seu ipsum *objectum quod intellectio terminativum*. Terminus *subjectivus* est ipsa actio ab intellectu producta, seu verbum mentis, nempe expressio mentalis rei cognite. Dum enim actu cognoscit intelligentia, operatur, seu actionem elicet ad cuius realitatem producendam terminatur hujusmodi expansionis via vitalis.

Præscindo nunc ab hac subtili quæstiōne multū a Scotistis agitata, utrum intellectus sit vera actio de prædicamento actionis, an qualitas de predicamento qualitatis? Sitne haec actio aliquid distinctum a verbo mentis, necne?

Extra controversiam est actum cognoscendi esse immaterialē, et proinde id quod producit intellectus, dum operatur, est ipsi intrinsecum; præterea cognitio semel adepta in nobis remanet, etiam post discessum rei cognite: v. g., dum per præsentiam arboris, animalis, etc., exsurgit in me quomodounque cognitio harum rerum, haec cognitio, quam antea non habebam, ab animo non aufigit dum ab objectis in propria natura spectaci recedo. Haec cognitio seu forma representativa est partus mentis. Hinc potest et debet dici terminus *subjectivus intellectus*. Igitur duplex est terminus intellectus, alter *subjectivus*, qui actione producta seu verbo mentis, id est, mentali rei cognitæ representatione consistit, alter *objectivus*, qui est res ipsa cognita seu *objectum quod intellectus*.

192. — THESIS VI. *Licet intellectus singularia etiam percipiat, tamen proprium et directum ejus objectum est universale.*

Nota. Advertendum est duplex esso universale, sicut *directum*, alterum *reflexum*. Universale directum est quendam ratio *ex se universalis*, licet ut universalis adhuc non deprehendatur, nempe sub ratione formalis habitudinis ad multa (18). Universale reflexum est ipsum universale directum quatenus concepit ut quedam ratio seu *forma pluribus uniformiter applicabilis*. Ex: Quum intellectus directe *essentialium* homini apprehendit, quam educit ex sensibili representatione individui, haec essentia tibi exhibet *universale directum*, quod tamen *ex se nec singularitatem dicit nec universalitatem*. At quum intellectus in primam cognitionem revertens, *hanc essentialiam comparat* cum individuis humanis, in quibus reperitur, hic respectus ad plura, ope reflexionis, universalis directo additus, facit ut haec essentia taliter apprehensio dicatur *universale reflexum*, quod in quinque predicabilibus dividitur (49).

Prob. prima pars, nempe *intellectum percipere singularia*. Intellectus noster de singularibus fert iudicia, ratiocinatur: atqui id impossibile foret si homo præter cognitionem singularium, quam habet per sensus, cognitione intellectuali eorumdem non frueretur. Ergo intellectus noster singularia perepit.

Major experientia constat: innumera enim sunt iudicia quia circa individua versantur: v. g., Petrus est homo, hic equus est animal, etc., in quibus subjecti ejusdam singularis identitatem affirmamus cum notione universali.

Minor etiam sola experientia eget: iudicium enim stat in perspicientia et declaratione convenientias vel discrepantias idearum: ergo intellectus ferre nequit iudicia, seu intuiri idearum convenientias vel discrepantias nisi simul has ideas contineat et distinguat: si enim una notio esset in una facultate et altera in potentia diversa, nulla comparatio foret possibilis: v. g., id quod est in visu non potest ab hac facultate conferri cum eo quod in tactu vel gusto foret; verum visus duo objecta colorata quae consistunt, comparare potest. Patet itaque intellectum non posse

singularia conferre cum universalibus nisi simul universalia et singularia sint ipsi presentia.

Prob. secunda pars, scilicet *objectum proprium et directum intellectus esso universale.*

Per universale indiscriminatum sumptum intelligitur ipsa quidditas quatenus prescindit ab individuatione numerica; atqui proprium objectum intellectus est sola rei cognite essentia, id est, quidditas absolute spectata, non autem relative ad tale individuum. Ergo id quod intellectus noster primò et directè attingit est universale.

Prescindimus hic a particulari distinctione *universalis*: an sit directum vel reflexum in presenti parum refert.

Ad minorem. Proprium objectum intellectus est ipsa quidditas (II, 189); porro hec quidditas per se abstrahit ab omnibus conditionibus individuantibus (II, 189, 191). Ergo objectum primarium et directum intellectus est universale.

II. De ratione.

193. — Ratio, strictè sumpta (189), non est facultas diversa ab intellectu, sed est dantaxat aliqua hujus facultatis functio. Quum enim intellectus humanus sit finitus, non potest statim et simul veritates remotas cognoscere; idcirco nonnisi pedentem et per diversos actus plures detegit veritates; immo pluribus actibus ad cognitionem rei perfectam assequendam indiget; porro plures actus ad cognitionem *aliquam rei* concurrendo nequeunt nisi posterior in priore *rationem* habeat, id est, sing *ratiocinationem*; intelligere in sensu presso est veritatem intelligibilem simpliciter apprehendere et dijudicare; ratiocinari autem est procedere de uno intellecto ad aliud ut veritas quedam cognoscatur. Prout facultas cognoscendi hoc primo munere fungitur, intellectus nuncupatur; quum accipitur pro significativa altera functione, dicitur ratio (189).

194. — THESIS I. *Ratio non est potentia diversa ab intellectu.*

Prob. Ratio esset facultas distincta ab intellectu si ejus objectum formale ad objectum formale ad eundem intellectus reduci non posset (II, 144); atqui ejusmodi redactio revera effici potest. Etenim

1º Objectum formale rationis, non secūs ac objectum intellectus, est quoddam intelligibile; totum rationis opus eō spectat ut res intelligatur. Porro *intelligibile* formaliter sumptum est specie unum: intelligibile enim est *notio relativa*, quae ordinem dicit ad vim intellectivam; ideoquā illud objectum non est sola natura rei in se spectata, sed hæc natura *prout ad intellectum latè sumptum refertur*, seu prout est cognoscibilis. Ergo.

2º Dum ratio veritatem deductam cognoscit, eam resolutiū seu reductiū ad principium a quo deductā est. Ergo conclusio, que est objectum rationis, resolutiū ad principium quod est objectum intellectus. Itaque per resolutionem unius in alterum, hæc objecta *unum* fiunt (1).

105. — *Thesis II. Secunda hæc intelligentia functio prima subditur.*

Prob. Ratiocinatio ab intellectu necessariò mutuatur, 1º fundatum, 2º leges. Ergo ipsi manifestò subditur.

1º Intellectus *fundamentum* supeditat, nam ratiocinatio exerceri nequit quoniamus iudicia immediata, seu per se nota anteceduntur, siquidem ratiocinatio est motus de noto ad ignotum; atqui iudicia immediata ad intellectum pertinent. Ergo.

2º Ratio motum a noto ad ignotum rectè et tutò incipere nequit nisi viam seu *legem* primordiale discursus cognoscat; atqui hæc lex, utpote *cilibet* rationis motu prævia, suppeditari nequit nisi ab intellectu. Ergo secunda intelligentia functio a prima pendet.

196. — *Schol.* Ratiocinatio ex ipsis intellectus nostri infirmitate oritur, scilicet ex eo quod intellectus procedit de potentia ad actum et pluribus actibus utitur; nam si mens humana omnia immediate perspicaret, ratiocinatio non erget. Hinc ratiocinatio, que in homine est maxima perfectio, absolute loquendo est imperfectio, quo intelligentia humanae imbecillitatem et angustias coarctat. Ratio, in sensu explicato sumpta, *soli* homini competit; quoniam brevem meritò habetur ut differentia specifica in hominē distinctione.

(1) Vide *Severino Phil. Christ., dygam.* pars sp. 3, 34.

III. *De memoria intellectiva.*

197. — Præter memoriam sensitivam, qua percipiens sensiles et phantasmas imaginacionis conservat et recognoscit, homo etiam ornatur memoria intellectiva, qua servat, reproducit et recognoscit ideas.

Certum est in homine memoriam aliquam intellectivam esse; nam, ut conscientia testatur, animus ideas olim habitas reproducere et recognoscere potest; porro memoria sensitiva actuum intellectus et voluntatis meminisse non potest. Ergo intellectiones et volitiones praeterrite nonnisi per facultatem superioriem reproducentur, scilicet per memoriam intellectivam.

198. — *Thesis I. Memoria intellectiva ab intelligentia non differt* (1).

Nota. Lièt memoria sensitiva sit specialis facultas sentiendi, intellectiva nihilominus non est aliud quam affectio intellectus; re quidem vera facultas ordinis superioris latius se extendit quam facultas ordinis inferioris.

Prob. Ad memoriam constituendam requirunt et sufficit 1º ut ideas serventur, ac 2º sub ratione præteriti exhibeantur: sub primo respectu memoria est habitus; sub secundo actum aliquem exercet (2). Atqui 1º ideas ab intellectu expresse nequeunt ab alia facultate conservari; altera enim facultas arbitrarie prorsus induceretur, si quidem huic muneri optime satisfacit intellectus; 2º ut fiat recordatio proprie dicta, seu cum notione fluxus temporis, sufficit etiam intellectus, qui profectò potest percipere fluxum temporis inter illud instans in quo actu elicuit et illud in quo ejusdem recordatur. Ergo nihil est in actu memorie ad quod se extendere non possit intellectus, ac proinde objectum formale memorie non est diversum ab objecto formalī intellectus. Igittur memoria haberi nequit ut facultas diversa ab intelligentia.

199. — *Scholium.* Verumtamen datur quedam distinctio

(1) S. Th. q. 79. a. 7.

(2) Vide S. Bonav. in 2. lib. sent. d. vii, p. 2 a. 1. q. 2.

inter intellectum et memoriam intellectivam; nam aliud est manus quo intellectus intelligibilis apprehendit, et aliud est illud quo antea cognitorum recordatur, quod est quidam intelligentia habitus, quo haec facultas species intelligibilis servat. Ergo intellectus distinguitur a memoria tanquam aliquod manus peculiare quo orbari posset haec facultas quominus in nihilum abeat.

200. — *Thesis II. Memoria, medianitibus subjecti actibus, exercetur circa objecta.*

Prob. I^a pars, nempe quod memoria exerceatur directe et per se circa ipsos actus.

Memoria enim, cuius operatio propria est recognitio, necessario presupponit cognitionem, ad quam immediate ordinem dicit; atque cognitio est actus intellectus objectum aliquod representans. Ergo recognitio, quæ versatur circa cognitionem, immediate exerceatur circa illum intellectus actum qui objecta exprimit.

Prob. II^a pars. Memoria etiam fertur in eorumdem actuum objecta, sed indirecte. Memoria, ut constat experientia, versatur circa præterita, ut præterita, et de ejusmodi objectis judicamus et ratiocinamur: atque non præterunt nisi ea que existunt, seu singularia; universalia enim, ut sic, a fluxu temporis præscindunt. Ergo memoria intellectiva circa ipsa objecta exerceari potest.

201. — *De memoria divisione et excitatione.* Memoria dividitur in spontaneam et voluntariam. Dicitur spontanea quando cogitationes, clapsæ, absque ullo labore se nobis offerunt. Memoria dicitur voluntaria, quæ idea in nobis excitari aut revocari nequeunt sine aliquo mentis conatu.

Ad memoriam excitandam valide juvat, ut omnes nōrunt, attentio et associatio idearum. Sicut enim memoria sensitiva juvatur dum sensations vividiiores sunt, ita etiam memoria intellectiva opitulatur attentio, quæ mens plus minūs intense ad aliquod objectum se confert. Idem etiam dicendum est de associatione idearum respectu memoria intellective, quæ de associatione phantasmatum quoad memoriam sensitivam,

IV. De reflexione.

202. — Intellectus, ut jam constat ex ipso actu recognoscendi, potest in semet regredi, atque vi hujus redditus proprios actus attингere.

1^o Scholastici duplēcēm distinguunt reflexionem, nimirum reflexionem *completam* et proprio dictam, et reflexionem *incompletam* seu improprio dictam. Nomen reflexionis completa venit illa operatio, qua facultas in propriis actus rediens, eos ex integrō percipit. Reflexio dicitur incompleta seu improprio dicta, quando facultas, non in propriis actus revertitur, sed in actus diverse facultatis. Ex.: Quum intellectus in se convertitur, suas ideas denuō attingit, fit reflexio proprie dicta; dum eadem facultas in actus sensum et imaginacionis reddit, fit reflexio improprio dicta seu incompleta. Reflectio proprie dicta, ut constat ex dictis (II, 111), solius facultatis inorganicae proposita est.

2^o Verum reflexio completa intellectus ratione termini in quem exclusive fertur, bifariam distinguere debet. Reflexio enim versus circa aliquam cogitationem præviā; porro in aliqua cogitatione duo sunt distinguenda, nimirum. 1^o ipsa cogitationis *entitas* seu ipsa actio cogitandi, nempe respectus ad subjectum cogitans; 2^o *vis representandi*, seu respectus ad rem cognitam: hæc duo evidenter importat omnis cognitio, quæ est simul actio, seu *affectio* subjecti cogitantis, et *representatio* objecti cogniti. Porro ad unum aut alterum prospectum cogitationis unicè se conferre potest intellectus recognitio. Inde divisio *reflexionis in ontologicam et psychologicam* (177), quæ etiam dicitur conscientia, quia est scientia seu cognitio quedam cum sensu subjecti cognoscens, cuius affectiōnem refert: psychologica appellatur hæc, quia in ipsam cogitationem naturam regreditur. Ontologica nuncupatur altera reflexio, idèo quia versatur circa ens, &c., seu objectum cognitum; appellatur etiam *recognitionis*, quia objectum cognitum, ante cogitatum, denuō ad cogitandum assumitur.

Reflexio sive psychologica sive ontologica, sicut ipsa cognitio, potest exerceri tum sponte tum sub ductu voluntatis, ut quisque sibi conscientis est. Aliquando enim animus

voluntarie in prævia cognitionem se convertit, ut eam iterum et diligenter contempletur; hic redditus fieri etiam potest sibi influxus voluntatis. Duplex itaque distinguitur status in cogitando, nimirum status contemplationis *sponsa* et status contemplationis *deliberativa*.

203. — THESIS. *Vis reflectendi ab intelligentia non differt.*

Prob. Reflexio proprie dicta redditus importat in cogitationes, seu in operationes intellectus; atque 1^o redire nequit nisi qui iter habuit, seu ante cognovit; 2^o hic redditus respicit omne verum cognitionis, ac proinde eō se extendit quod se porrigit valet intelligentia. Ergo sive ex natura motus quo fruatur vis reflectendi, sive ex objecto formali hujus cognitio patet hanc vim ab intelligentia differre non posse.

204. — *Corol.* Hinc conscientia, si proprie sumatur, non est potentia ab intellectu diversa, sed *actus* quo intelligentia proprias operationes, ut suas, recognoscit; qua de causa hic actus subjectum cogitans seu *ipsum ego* attingere debet, non autem ut simpliciter existens (siquidem hic actus est reflexus, qui anteriorē intelligentiae expansionem expositulat), sed prout est actu cogitans seu operans.

Scholium. — Conscientia dividi potest in *psychologicam* et *moralē*. Quando considerat utrum actus reapse sit aut aliquando furerit in nobis, dicitur psychologica: unice adverbit actus animae; quando considerat utrum actus cum legibus morum consentiat necne, dicitur moralis. Hic non agitur nisi de conscientia psychologica.

II. De appetitu intellectivo et libertate.

205. — Nobilior ille appetitus, qui intellectualem cognitionem sequitur, *voluntas* nominatur. Hæc facultas ab intellectu distinguatur, tum 1^o quia diversum est utriusque objectum formale: intellectus enim versatur circa intelligibile, solum ut intelligibile est; voluntas vero appetibile, ut appetibile est, pectit; tum 2^o quia sibi ipsius objectum ab intellectu propositum voluntas respuit. Id enim in confessio est apud omnes.

206. — THESIS I. *Voluntas appetere nequit nisi id quod ipsi proponitur sub ratione boni.*

Nota I. Affirmamus in hac thesi voluntatem solummodo bonum appetere posse, et proinde respectu hujus facultatis, objectum aequaliter prosecutionis esse bonum, sicut objectum aversionis est malum: sed hic agitur de bono prout est in *apprehensione*, non autem prout est in *re*. Voluntas enim non fertur nisi in bonum *cognitum*, juxta effatum: *Ignoti nulla cupidio*. Igitur parum refert utrum illud quod in *existimatione* ut bonum habetur, sit reapse bonum vel malum.

Nota II. Hæc doctrina, ut ait Poncirus (1), « est communissima, quamvis, meo judicio, non sit tam facile illam probare quam videri posset. »

Prob. I. Per *bonum* intelligitur id, quod aliquo modo subiecto volenti convenit (317); atqui velle, quatenus est se movere sibi tendere ad aliquid *habendum*, non potest versari nisi circa objectum quod in unum cum volente possit aliquo modo venire. Ergo voluntas non potest velle nisi id quod ipsi convenit, seu bonum.

Ad dilucidorem *minoris* perspicuitatem, animadverbendum est velle seu appetere esse ad quamdam unionem cum aliquo constituantem tendere; porrò uniri et convenire sunt unum quid et idem. Igitur voluntas non nisi in objecti *volabilis* convenientiam fertur.

Prob. II. Quidquid vult voluntas, vel illud vult tanquam medium, vel tanquam finem; atqui 1^o si tanquam medium, necessario debet velle illud quatenus conducens ad finis acquisitionem, et exinde ut bonum utile (318); 2^o si tanquam finem, tunc debet illud voluntati se offerre sub ratione que facultatem hanc intentionaliter movere valeat ad volitionem: sed hæc ratio est bonitas finis. Ergo quidquid vult voluntas, illud vult quatenus ipsi sub ratione boni proponitur.

207. — THESIS II. *Bonum appetitum est semper aliquo modo bonum appetentis.*

Prob. Bonum appetitum est vel bonum proprium ipsius

(1) *Philosophia cursus integer*, tractatus de anima, disp. 7.

appetentis, et tunc stat thesis, vel bonum alterius; porro si est bonum alterius, illud alterum ad nos aliquo modo spectare debet, nam volitio semper importat aliquam relationem convenientiae inter voluntem et terminum illius actus. Itaque bonum, quod appetit, est semper aliquo modo bonum ipsius appetitus, licet amore benevolentiae appetatur.

De libertatis existentia.

208. — THESIS III. *Voluntas est potentia intrinsecè libera.*

Prob. I. Libertas, cui contradictriorie opponitur necessitas, seu determinatio ad unum, in potestate eligendi consistit. Atqui, ut quisque sibi concius est, homo pro libito potest agere vel non agere; frequentissime deliberat de eligendis, atque è duabus bonis sibi propositis alterum eligere vel utrumque respovere quit, imb' post eventum, virtus vel laudi deliberationem sibi tribuit. Ergo ex ineluctibili conscientiae testimonio constat esse in homine potestatem eligendi seu libertatem. Hoc argumentum tantum est perspicuum ut revera non est eur in ipso enucleando commovere.

Prob. II. Ex communii hominum sensu. Apud omnes gentes quantumvis inculcas reperiuntur notiones justi et injusti, meriti et demeriti, etc., non non inventur leges et precepta; praterea usus consiliorum et hortationum, promissionum et communionis eisdem non est alienus, etc. Atqui haec omnia essent absurdia prorsus et ridicula si humanae actiones non ex libertate arbitrii, sed ex ineluctibili necessitate procederent. Ergo persuasionem de libero hominis arbitrio habuerunt omnes gentes.

Potest etiam probari eadem veritas per rationem, ut postea dicemus, ostendendo nullum bonum posse voluntatem ad se necessariò trahere, aut ejus capacitatem appetendi explere, nisi summum bonum.

209. — *Scholium.* Diximus in thesi *voluntatem esse liberam*, nam libertas in sola voluntate formaliter residet. Etenim illa potentia est libertatis subjectum cuius est agere vel non agere, prosequi objectum propositum vel illud non prosequi. Atqui id proprium est voluntatis, ut

conscientia testatur. Ergo voluntas est potentia quæ dicitur libera.

De variis libertatis divisionibus.

210. — Libertas pro objecto habere potest actus internos voluntatis, vel actus externos a voluntate imperatos: v. g. actus deambulandi, legendi, etc. In primo casu dicitur etiam libertas arbitrii aut *indifferentie*, cui opponitur *intrinseca determinatio ad unum*. In secundo, libertas *executionis* appellatur, cui opponitur *coactio seu vis extrinsecus illata contra voluntatis inclinationem*. Haec libertas a coactione, quando consideratur in ordine sociali, subdividit solet ratione objecti ad quod respicit, in libertatem *civilem*, *politicanam* et *religionem*.

Libertas arbitrii, que etiam appellatur libertas a necessitate, necnon, per oppositionem ad libertatem civilem et politicanam, nomine libertatis *psychologica* notatur, est libertas proprie dicta, quæ ad meritum vel demeritum requiritur.

Libertas haec stat in *intrinseca* potestate eligendi. Porro electio fieri potest 1^o inter duo contradictoria, quæ sunt agere et non agere, 2^o inter duo contraria, ut amare et odisse, 3^o inter diversa, v. g. scribere, legere, ambulare, etc. Hinc triplex genus libertatis a necessitate distinguuntur: primum dicitur libertas *contradictionis*, seu quoad exercitium; secundum libertas *contrarietalis*, denique tertium libertas *specificationis*. Secundum et tertium genus respiciunt *speciem* actus, et ideo libertas universim distribut etiam solet in libertatem *quoad exercitium*, et in libertatem *quoad speciem actus seu quoad specificationem*.

Libertas a necessitate dicitur etiam *indifferentia activa*. Indifferentia enim, ex ipsis vi nominis, est quæ unum perinde se habet ad plura, et idcirco determinationi ad unum opponitur. At subjectum indifferens esse potest ad plura recipienda; v. g. cera ad omnes figuræ, vel perinde se habere ad plures effectus producendos. In priori acceptione indifferentia dicitur *passiva seu subjective*, in posteriori *activa sive principi*. Hisce speciebus indifferentes adjecti etiam solet *indifferentia objectiva seu iudicij*, quæ est repræsentatio objecti sub diversa ratione boni et mali.

211. — THESIS IV. *Sola indifferentia contradictionis est de essentia libertatis.*

Nota. Liberum arbitrium considerari potest abstractè nempè prout ab omnibus eo fruentibus, id est, a Deo, beatis et homine viatore praescinditur: istud adæquate constituitur per indifferentiam contradictionis, seu potentiam agendi et non agendi. Potest etiam contracte insipi, scilicet prout reperitur in solo statu hominis viatori, et tunc adæquate constituitur per libertatem contradictionis et contrarietas. Essentia libertatis consistit in libero arbitrio abstractè sumpto: in hoc sensu thesis proponamus.

Prob. I. Deus est simul perfectissime liber et impeccabilis per naturam: angeli et beati sunt etiam liberi et impeccabiles per gratiam. Atqui impeccabilitas componi nequit cum libertate contrarietas. Ergo ad libertatis essentialium non requiriatur libertas contrarietas, ac proinde hec essentia sola indifferentia exerciti constat.

II. Libertas formaliter stat in potentia eligendi; atque potestas eligendi reperitur in indifferentia contradictionis, que alias est aliquid premium respectu libertatis contrarietas: potentia enim agendi et non agendi est aliquid prius respectu potestatis agendi bonum vel malum. Ergo dempta libertate contrarietas romanet etiam liberum arbitrium: itaque in hac libertate contrarietas non stat essentia liberi arbitrii.

212. — *Scholium.* Verumtamen in statu praesenti libertas contrarietas est de ratione liberi arbitrii contractum sumptu. Status praesens a statu beatorum differt, quatenus homo habet potentiam peccandi vel non peccandi. Igitur liberum arbitrium contracte sumptu, scilicet pro statu hominis viatori expostulat libertatem contrarietas; quamobrem constitutur adæquate per libertatem contradictionis et contrarietas.

213. — THESIS V. *Voluntas humana in praesenti statu adigi nequit producere in se ullam volitionem aut nolitionem.*

Prob. I. Ex testimonio conscientiae. Quisque sibi conscius est se posse assensum elicere vel cohibere respectu

cujuslibet objecti. Ergo voluntas humana nunquam cogitur ad producendam in se aliquam volitionem.

II. Voluntas cogereatur ad actum producendum, si Deus illi necessitatem intrinsecam imponeret; Deus enim solus vim habet movendi voluntatem, seu determinandi actum internum hujuscemodum facultatis. Atqui Deus, qui homini dedit libertatem indifferentię, nequit ita ad unum voluntatem determinare quoniam primum donum destruat. Ergo voluntas creata naturaliter cogi nequit ad producendum in se ullam nolitionem aut volitionem.

De libertatis objecto.

214. — THESIS VI. *In ultimi finis appetitione libertas non est.*

Nota. In thesi agitur de beatitudinis amore; verum ultimi finis appetitus potest considerari sive quod exercitium sive quod contrarietatem et specificationem. Quod exercitium iterum debemus distinguere inter summi boni, in quo est beatitas, claram et distinctam propositionem, et confusum abstractamque. Sub primo respectu, amor beatitudinis non est liber, etiam quod exercitium. Beati enim nequeunt non amare divinam bonitatem: necessarium rapiunt ab ea. In secundo sensu, amor beatitudinis est liber quod exercitum, et exinde homines viatores possunt summum bonum etiam sub ratione summi boni cognitum respire, propter debititudinem propositionis: verumtamen hic amor non est liber quod contrarietatum aut specificationem; et in hoc sensu thesis adstruitur.

Prob. I. Objectum formale voluntatis est bonum: voluntas igitur non nisi bonum velle potest (II, 200). Atqui ad generalem et abstractam felicitatem intentionem ultimam reducitur quelibet boni appetitus: appetere bonum idem est ac quaerere felicitatem. Ergo voluntas quodam finem ultimum, libertate contrarietatis aut specificationis caret.

II. Actus liber deliberationem aliquam necessariò exposuit; atque ultimus finis, seu felicitas, ut sic apprehensa, in deliberationem adduci nequit: nullum enim extra illam est bonum cui comparari possit. Ergo beatitas objectum esse nequit actus liberi.

215. — *Corollarium.* Hinc si felicitas ita esset intellectui et voluntati praesens ut nulla posset esse obscuritas in cognoscendo, non remaneret etiam libertas contradictionis in appetendo. Beati ergo non sunt liberi libertate indifferentiæ quoad objectum primarium beatitatis.

216. — *Scholium.* Qui vult finem vult media sine quibus ad hunc finem non pertingeret. Impossible enim est ut volitus finis sit recta quominus includat volitionem medium necessariorum. Hinc idem dicendum est de appetitione medium que cum fine necessario nectuntur, quam de ipso fine.

217. — *Thesis VII.* *Quoad bona particularia quæ cum fine non necessario connectuntur, voluntas remanet libera, non modo quoad exercitium, sed etiam quoad specificationem.*

Nota. Quod ad libertatem exercitii spectat, id a fortiori eruitur ex antea probatis. (II, 214.)

Prob. I. Libertas arbitrii stat in potestate eligendi; atque circa bona particularia, seu fines particulares, semper reperiuntur plures termini electionis: Nullum enim horum bonorum cum objecto adaequato voluntatis necessarii connectitur; extra aliquod bonum particolare, semper remanent alia bona. Praeterea bonum particolare non est expletivum facultatis, quæ indefinito appetere potest. Ergo voluntas circa haec bona servat semper potestatem eligendi, seu est libera, libertate specificationis et contradictionis.

Prob. II. Libertas quoad specificationem expostulat solummodo ut sint plures termini electionis; porro bona particularia semper duo præ se ferunt: nempe, 1º aliquam boni rationem, 2º quedam boni defectum, ut pote particularia seu limitata. Ergo illa semper se voluntati prebent in conflicto cum aliis bonis, ac proinde voluntas, dum inter haec bona eligit, nunquam necessario determinatur ad unum appetendum.

Prob. III. Voluntas bonum appetit prout ipsi ab intellectu proponitur; atqui intellectus proponit media non necessaria ad felicitatem consequendam tanquam indiffe-

rentia. Ergo voluntas indifferens remanet quoad haec bona eligenda, seu est libera.

CAPUT III.

DE ANIMA HUMANA QUOD EXERCITIUM SUE ACTIVITATIS SPECTATA, SEU DE VIRTUTE ACTIVA ANIMI IN ACTU SECUNDO.

218. — Hucusque animam humanam consideravimus, sive quoad substantiam, sive quoad virtutem activam qua fructu, cuius instrumenta sunt variae potentie. Quasi-vimus ergo quid sit substantia animi, quenam sint facultates quibus haec substantia est et dicitur virtus activa. Nunc autem, jam perspectis et determinatis singulatim omnibus animi facultatibus earumque objectis, ad exercitium harum potentiarum sedulò rimandum aggredimur. Igitur operationes proprias facultatum considerabimus quoad naturam et genesim.

Jam verò istas operationes ad tres revocari possunt, minime 1º ad sensationem, 2º ad intellectu[m]em, denique 3º ad appetitionem. Hinc in tribus articulis presentem disputationem absolvemus.

De hac et aliis disputationibus in portione *materialiter* sequas dispensandis, parvum solliciti sumus; partitionem logicam unice querimus.

ARTICULUS I.

De natura et genesi sensationum.

219. — Actus facultatis sentiendi, qui sensatio dicitur, ex duplice principio evidenter procedit, minime 1º *subjectivo*, quod remote est ens quod sentit, proxime facultas organica, 2º *objectivo*, quod est aliquid corporeum sensibus pervium, exinde duplice respectum habet. Sensatio in ordine ad subjectum spectata est quedam ejus affectio, in ordine ad objectum, seu ad realitatem externam, est sensilis ejus representatio. Hic non agitur de sensatione quatenus ut affectio actusque subjecti apprehenderetur:

hoc enim modo spectata, ad sensum internum pertinet; in praesenti agitur duntaxat de hac vi representandi.

Quæritur enim quomodo enascatur in nobis sensatio? Quid ad illam constituantem conferat objectum? quid facultas? Hæc questione tam magna obvolvitur obscuritate, ut quidam auctor (1) affirmare non vereatur, id hucusque a nemine explicari potuisse. Circa hanc disputationem 1^o breviter recensēbimus falsa aut incompleta systemata, necon sentientiam scholasticorum synthetica proponemus; 2^o diversarum sententiarum fundamenta thetico exercitiemus, opinionem S. Thomæ omniumque scholasticorum propagando.

S I. De variis systematis ad explicandam genesis sensationum exocitatis.

220. — Presens questione arctissime colligatur cum ea quo in explicandam naturam unionis animæ cum corpore incumbit, et exinde mirum non est hic eadem reperiiri systemata.

1^o Malebranchus, suo systemati causarum occasionalium insistens, docet sensationem esse modificationem animæ a Deo productam, et exinde fide duntaxat nos posse de corporum existentia certitudinem habere.

2^o Leibnitius docuit sensationem non esse aliud nisi naturalem monadis sentientis evolutionem, qua eodem modo continget si nullum corpus esset præsens, siquidem anima ab objectis externis modificari non potest. Eadem series representationum sensibilium fieret in homine si mundus externus non esset. Hinc res externæ nullum prorsus habent influxum in productionem sensationum.

3^o Materialista, qui existentiam principii simplicis in homine a corpore distincti insificantur, in sensationibus nihil aliud vident quam actiones et reactiones mechanicas. Et idem, juxta ipsos, unicum est sensationis principium, videlicet res externæ, que motus impellunt sensoriis, et exinde determinant in homine hanc immutationem, que dicitur sensatio. Ex crassa, quam instituant, sensationis analysi, contueri nequeunt discrimen quod intercedit inter motum mechanicum et sensationem.

(1) R. P. de Boplevre, *cursus phil. psych.*, § 27.

Sed omnibus pervium est in sensatione nullam reperiri translationem partium, neque proprietates motis inveneri possunt: motus enim contraria elicuntur, dum sensations contraria in eodem subiecto consistere possunt. Igitur non est cur in hoc systemate confutando immoremur, siquidem ex antea probatis de simplicitate et spiritualitate animi plane evertitur (II, 109, 111, etc.).

4^o Cartesius sensations mere subjectivas fecit, et inde orta est celeberrima questione *de ponte*, ut aiunt, seu de modo quo ex sensationibus ad certitudinem existentias corporum, quae sunt objecta sensationum, devenire possumus.

5^o Denique Reid, Dugald-Stewart cum schola scotica, cui haec in re suffragatur Galluppius, docent in omni sensatione animum directe et immediatè, nempe sine ulla specie, percipere objectivam corporum realitatem. Sed hic ultimus contendit nexus inter perceptionem et realitatem externam necessarium esse, dum priores docent *impressionem materialem*, *sensationem* et *cognitionem* constanter conjungi, licet inter ipsa non sit nexus necessarius. Impressio materialis, juxta illos, est mechanica impulsio organi per res exteriores; sensationem habent ut affectionem gratam vel ingratam, nempe ut sensum voluptatis vel doloris (seu elementum *pathologicum*) qui ex hac impulsione promanat. Cognitione seu perceptio sensits quæ subsequitur, non determinaretur a sensatione, sed a solo *instinctu naturæ*: itaque inter sensationem et perceptionem non esset vera connexio, sed mera consecutio. Hinc vi solius *instinctus* nature, corporum existentias affirmaremus (1).

Quid de hisce systematis sentiendum sit, dicemus, vera sententia fundamentis antea ostensis.

Systematis scholastici circa naturam et genesis sensationum exposito synthetica.

221. — Aristoteles fundamenta huius doctrine jecit, quæ scholasticorum disputationibus illustrata, in scholis viguit usque ad Cartesium.

In hac sententia, duo principia activè concurrunt ad

(1) Vide Sansovino, *Dynam.*, pars sp., c. II, a. 7.

sensationem efformandam, nimurum objectum cognitum et subjectum cognoscens : in omni cognitione, et præsertim in sensibili, requiritur quedam conjunctio objecti cognoscibilis cum potentia.

I. Objectum facultatem movet eique unitus per *species intentionales*, seu *sensibiles*, atque eam determinat ad representationem sensibilem objecti efficiendam. Species sic movens dicitur *intentionalis*, quia per eam facultas in objectum ipsum tendit seu *intendit*; dicitur *sensibilis*, quia sensibus deserbit; tandem dicitur *species* quia est saltem virtualiter imago objecti, illudque velut apparente reddit, atque est quasi instrumentum, per quod objectum unitur potentie. Sed sedulo distinguit debet species intentionalis impressa a materiali impressione in organa. Facultas enim, in qua perficitur sensatio, constat organo animato, seu principio vitali et materia. *Impressio materialis* est solius materia immutatio. Verumtamen ob facultatis unitatem indivisibiliter statim et simul immutatur *sensus ipse et organum*; haec immutatio ipsius facultatis ab objecto efficitur, eo quod istud in potentia imaginem suam imprimat qua haec potentia determinatur et compleetur ad *expressam* speciem producendam: itaque species impressa effectivè concurrent simul cum potentia ad elicendum cognitionem, seu potentia a speciebus activitatem novam accipiunt.

II. Subjectum active concurrevit ad speciei *expressæ* productionem. Sensatio enim in sola receptione speciei impressæ non consistit, sed in *operatione* que hujusmodi receptionem consequitur. Facultas enim influxu speciei intentionalis sic determinata ad agendum, per suam operationem immanenter exprimit speciem rei a qua immutata fuit: et sic efformatur *species expressa*, que idem est re ac terminus *subjectivæ* facultatis cognoscens (II, 191).

Ex dictis resultat sensus esse potentiam simul activam et passivam; est potentia activa relatae ad speciem expressam quam producit; est potentia passiva respectu speciei sensibili impressæ et objecti. Verum ad productionem specierum sensibilium, non est necesse ut admittatur *sensus agens* (I), sicut ad speciorum intelligibilium pro-

¹¹ vid. Suar. De anim. I. iii, c. 9, n. 4.

ductionem, ut postea videbimus, requiratur intellectus agens: nam species impressæ non sunt reapse perfectiores objectis, cum sint et ipse materiales.

Sed difficultas in eo est præsertim ut cognoscamus quomodo species intentionales sive *impressæ* sive *expressæ* concurrent ad cognitionem objecti.

III. Species impressa non est cognitionis objectum. Appellatur a scholasticis *objectum quo*, dum terminus objectivus sensationis, seu res a sentiente distincta, *objectum quod* dicitur (II, 187). Est ergo aliquod medium cognitionis.

222. Nota. Triplex autem distinguitur medium cognitionis, nempe 1^o medium *quo* cognoscitur, seu species potentiam ad cognoscendum determinans; 2^o medium *sub quo* objectum cognoscitur; illud medium potentiam perficit, sed non determinat ad agendum; est conditio generalis et objectiva ad operandum; v. g. visibilitas est medium sub quo oculus colores deprehendit; 3^o medium *in quo* cognoscitur; est veluti speculum seu aliquid cognitum in quo res aliqua representata percipiuntur.

Species sensibili impressa est *medium quo* (221, I); inde ad modum principii se habet non autem ad modum termini facultatis sentiendi. Haec ergo species meritò et rectè dicitur *intentionalis*, namque dirigit intentionem seu conatum agentis, nempe est ratio quae cum facultatis in tale objectum intendit. Verumtamen species intentionales sensu non raro accipiuntur, atque species tam impressæ quam impressæ, sive sensitivæ, sive intellectivæ, communis nomine intentionales dicuntur.

IV. Quam species sensibili *impressa* in actu cognoscendi se habeat ut medium quo, seu ut causa movens, et ordinem dicat terminativum ad speciem *expressam*, remanet ut haec, que est *ipse actus percipiendi* specialissime sumptus, directe et immediate se referat ad objectum externum sensu apprehensum. Hinc in sensatione non percipimus sive impressionem materialem, sive speciem impressam, sed ipsam rem externam, non verò per actionem transsumtem, id est, per quemdam excessum sensus extra subjectum sentiens, ut inepte putavit Reidius, verum per actionem immaterialem. Haec igitur actio immaterialis, cuius terminus sub-

jectus est species expressa ab ipso actu minime distincta, pro termino objectivo habet rem externam. Quapropter sensatio est actus quo objecta externa percipiuntur, que nos afficiunt. Tota hec scholasticorum sententia, sic synthetice exposita, nunc per partes probari debet. In hac demonstratione vera sententiae, falsa et incompleta systemata simul confutabimus. Hinc :

§ II. Crisis thetica sententiariarum circa naturam et originem sensationum.

223. — THESIS 1. *Ut sensatio exsurget, requiritur influxus objectorum materialium in sensus.*

Probatur I. Sensus est *potentia passiva* per se indifferens ad unum sensibile potius quam aliud percipendum; sensus enim diversa objecta particulariter indifferenter percipere possunt : v. g., visus potest omnia colorata percipere, ac proinde ut in quoddam speciale coloratum intendat, requiritur ut aliquo modo e statu indeterminatio ad statum determinacionis traducatur. Atqui 1^o potentia passiva non reducitur in actum nisi per id quod est actu, nempe per sensibile; neconon 2^o quod est per se indifferens, ab *extrinseco* dobet determinari; nam a se non determinatur. Ergo ut potentia agat, requiritur determinatio quedam ab extrinseco seu ab objecto proveniens.

Probatur II. Ex ipsa experientia plane constat objectum ad sensationem concurrende, non modo ut *terminus*, sed etiam ut principium determinans ac movens; omnibus enim notum est objecta nos determinare et veluti allicere ad sensus in ipsa convertendos; v. g., gustus, olfactus, tactus, etc., impressionem rerum externarum manifeste recipiunt; et in tantum hi sensus objecta percipiunt in quantum ab ipsis afficiuntur : quando objectorum *radii* ad retinam usque non pertingunt, visio non habetur, etc. Ergo ..

224. — *Corollarium.* Ex haec probatione etiam sequitur falsam esse sententiam occasionalistarum et Leibnitizii, qui hanc actionem corporum in vim sentiendi inficiantur (406).

225. — THESIS II. *Hæc determinatio ab objecto proveniens debet intrinsecus afficere vim sentiendi, seu speciem impressam producere (1).*

Probatur. Ad sensationem objectum concurrere debet determinando sensum et movendo (II, 223); atqui si hæc determinatio ipsam potentiam *intrinsecus* non afficeret, seu speciem impressam non produceret, non moveretur ac determinaretur hæc potentia, seu organum quatenus animalium. Indifferentia enim sensitivæ potentie est *intrinseca*. Ergo ad sensationem requiritur intrinseca organi animati determinatio, qua est ipsius speciei impressa.

226. — *Corollarium.* Hinc falsa est sententia scholæ Scoticæ, quæ autem sensus ad percipiendum determinari, non a specie impressa, sed unicè ab aliquo instinctu naturæ.

227. — THESIS III. *Species impressa non est objectum quod sensibilis cognitivus, sed objectum quo.*

Nota. Hic agitur de sola perceptione externa, nam species impressa potest esse objectum perceptionis sensus interiorum sub ratione doloris vel delectationis.

Probatur 1^o pars : Species impressa non est objectum quod sensatio.

I. Id quod sensatione percipitur est terminus objectivus hujus operationis; atqui, ut constat ex dictis, species sensibilis habetur ut principium quod movet facultatem ad sentiendum (II, 223). Ergo nisi terminus cum principio confundatur, species impressa non potest esse objectum quod percipitur.

II. Vi sensationis, certitudinem habemus de existentia rerum externarum : v. g., per visum certiores efficimur de praesentia ac realitate objectiva hujus montis, talis animalis aut arboris, etc.; atqui si sensatione solam perciperemus species impressam, vi perceptionis de praesentia speciei columnmodo certi efficeremur, non autem de realitate objectiva rerum perceptiarum; at id manifesto est

(1) Utrum objectum sit *causa totalis effectiva* speciei, et immediata, disputant scholastici?

contra conscientiae testimonium renuntiantis, non perceptionem speciei impressae de qua nihil prorsus dicit, sed rei externe apprehensionem. Nemo enim, dum videt, dicit se videre imaginaculam in retina depictam et immutationem facultatis visus; sed dicunt omnes se videre objecta colore suffusa. Ergo sensatione non percipitur species sensibilis, que proinde haberi nequit ut *objectum quod*, seu terminus objectivus.

Parte II^a: *Hæc species est objectum quo.*

Prob. Species impressa, ut ex supra dictis patet, est necessaria ad sensationem, saltem quoad nobiliores sensus, visum, auditum, etc.; est autem necessaria ut *medium quo* objectum in potentiam influit, illamque movet ac determinat: nam in prima parte presentis theosœ, probavimus speciem impressam non esse *objectum quod*, siquidem in hac hypothesi sensu directe perciperit speciem, et objectum ipsum non apprehenderet. Præterea non est *medium sub quo*, siquidem istud potentiam non determinat. Ergo remanet ut species sensibilis impressa se habeat ut *medium quo*.

228. — *Corollarium I.* Hinc falsa est sententia Cartesianorum, qui speciem impressam esse *medium in quo* sensus objecta perciperit, rati sunt. Juxta ipsos ergo non perciperemus nisi nostras intrinsecas modificationes, non autem corpora externa.

229. — *Corollarium II.* Hinc pariter inepita est celeberrima, haec disputatio de *ponte*, nimurum de modo quo in sensationibus animus transiret a suis affectionibus ad objecta externa. Hæc enim disputatio ex eadem falsa hypothesi de specie impressa ut *medium in quo* habita, exordium ducit.

230. — *Thesis IV.* *Objectum quod sensibilis cognitionis sunt qualitates sensiles, quæ speciem impressam producent.*

Prob. Sensus directe et immediate objecta realia et corporea percipiunt, ut ex superiori thesi resultat; atque sensus ad ipsam substantiam percipiendam se attollere nequeunt; substantia enim, quæ sit extensa, ac proinde sensibilis, per sua accidentia, non nisi per abstractionem

mentis (seu relictis accidentibus) potest comprehendendi. Inde dicitur *sensibile per accidens*, ideo quia per qualitates sensibiles, quibus determinatur, aliquo modo apprehenditur, non autem directe et in se. Ergo remanet ut objectum directum et immediatum cognitionis sensibilis sint qualitates corporum sensibiles.

Ista qualitates, quæ objectum sensationis constituant, esse sunt quibus species impressæ imprimitur, nam sensus se movet prout afficitur a rebus externis; porro mensura hujus determinationis est species impressa, quæ tamen in actu sentiendi non habetur ut *formalis* representatio objecti, sed ut *effectiva* seu *virtualis* tantum (1).

231. — *Scholium.* Acute disputant scholastici de natura, essentiâ, divisibilitate, modo causandi, etc., specimenum intentionalem materialium; sed ista disputationes valde subtiles sunt parvi momenti, neconon ad praesentem questionem nihil perspicuitatis conferunt (2).

232. — *Thesis V.* *Species expressa non recipiunt, sed efficiuntur.*

Nota. Quæritur in hac thesi utrum sensatio sola receptione speciei sensibilis absorbatur, an contra active concurat potentia ad sensitivam cognitionem.

Probatur. Si species expressa simpliciter recipiatur, sensatio non esset actio *vitalis* et immans, et hæc species non rectè diceretur *expressa*: solum enim objectum ageret, et sensus simpliciter patetur, ac proinde subjectum sentiens nihil faceret; atque sensatio est actio sentientis seu operatio *vicentis* propria: sentiens ipse *sentit* suu cognoscit sensibilia, et exinde aliquo modo active se habet, quod alias experientia invictè demonstrat. Ergo sensus speciem impressam producere debet, secus nulla haberetur actio sentientis; id enim duntaxat *efficiendum* romanet in actu sentiendi.

233. — *Scholium.* Hæc species, quæ est *formalis* representationis objecti, re ipsa confunditur, juxta multos, cum

(1) Ita Suarez, de anim. (3. c. 2, n. 20) et alii; multi tamen, Thomists presertim, docent hanc speciem esse similitudinem formalem objecti.

(2) Vide Pontium, Ph. de anim. disp. 2, q. 7, 8 et 9.

ipso actu sentiendi; verum tamen ratione distinguuntur; quatenus illa actum denominat ratione termini seu rei factæ. Hinc dicitur etiam terminus *subjectivus* sensationis.

234. — THESIS VI. *Species expressa potest dici medium formale vel virtuale in quo objectum percipimus.*

Nota. Est medium in quo virtuale quad cognitionem directam objecti, et medium in quo formale in cognitione quasi reflexa, seu in operatione sensus interni.

Probatur. Sensatio est operatio cognitiva immanens; atque operatio immanens nequit objectum facultati operanti extrinsecum, in ipso persentire et aliquo modo permeare. Ergo remanet ut illud objectum, quatenus facultati intimum fit, seu in suo esse *intentionali* percipiatur.

At illud esse intentionale est ipsa species expressa, cuius est rem exprimere. (*Species impressa* est effectiva rei representatio, dum species expressa est formalis representatione objecti.) Igitur species expressa potest dici medium in quo objectum directe et immediate percipitur, seu est ipsa res quatenus cognita.

235. — *Scholium.* Sensatio est vera corporum *externorum* perceptio; nam species expressa non est conditio prævia ad sentiendum, nec terminus *objectivus* actus sentiendi, sed est ipsa actio sentiendi (1) ejusque terminus *subjectivus*, qui aliud quidquam non est ac ipsa evolutio facultatis, seu actus immanens. Facultas enim operans se vitaliter constituit actu *specularem* rei expressionem. Quando objectum videtur in speculo, visio terminatur ad ipsum objectum, quod videtur in seipso per speciem a speculo reflexam (2).

236. — *Corollarium.* Si superius dicta de unione animalium cum corpore componamus cum presenti disputatione, colligi potest sensations in propriis sensoriis perfici. Recontores philosophi, post Cartesium generatim docent sensations in solo cerebro patrari (Cf. II, 127). In eorum

(1) *Juxta Cajetanum, Caprosum, etc., idolum* non est terminus productus, sed speculum et imago in qua res ipsa cognoscendi; que realiter distinguuntur ab acta cognoscendi (Suarez, de anim. I, 3, c. 5, n. 5 et 7.)

(2) Suarez, de ani. I, 3, c. 2, n. 44 et 15; Cf. S. Th., 4. q. 85. g. 2; etc.

sententia imagines rerum ad cerebrum usque deferri debent, in quo residet animus; nervi habentur ut media quibus ejusmodi species intentionales ita transvehuntur ut animo ipsi presentes flant. Falsitas hujus opinacionis jam patet ex ipso conscientiae testimonio quod renuntiat nos oculis videre, auribus audire, etc., et rem externam propriè sensu percipi, non autem in aliqua imagine. Præterea imago colorata, v. g., quæ in retina depingitur, nequit in cerebrum deferri, quod est planè obscurum.

S III. De phantasmatis imaginationis et somniis.

237. — Jam antea diximus quid sit phantasma, et quomodo redintegrari possit ab imaginatione (II, 171, 172). Nunc iterum et intimius natura phantasmatis a nobis considerari dobet. In hac re, facta in primis ob oculos ponit dehinc, et postea ab eorumdem explicacionem doveniemus.

I. *Facta que naturam phantasmatis et somnit palefacere possunt:*

238. — I^o Phantasma imaginationis connexionem intimam habent cum temperamento subjectorum in quibus excitantur. Curtus est enim phantasma esse diversa pro diversitate personarum; in adolescentibus enim et feminis vividiiores sunt imaginationis representationes; in constantibus viris debiliores. Pro diversa etiam valetudine reperimus eandem diversitatem in phantasmatis. Sunt enim lata aut molesta prout quis actuali morbo detinetur, aut ab omni incommmodo corporis statu liber est.

Id omne quod percellit systema nervorum, phantasmum urget; hinc status cerebri aut cordis vel stomachi plurimum valet in phantasiam.

2^o Status animi ex altera parte etiam determinat diversa phantasmata; quando quis aliqua idea detinetur, hec in ea imaginationem impellit ad talia phantasmata excitanda. Experiencia enim certò hec omnia demonstrat.

239. — Id quod ad sonnia attinet, plura etiam facta sunt notata digna. Sonnia enim, sicut phantasmata que in statu vigili excitantur, alia suam originem a corpore trahunt, alia ab animo. Inde fit ut quedam sonnia dicantur morbiæ et alia non morbiæ, prout agritudine quadam vel aliter excitata fuerunt. Amoenæ enim impres-

siones amoenas sensa excitare possunt, ac proinde cum corpus somno relaxatur, si amoenis aut ingratissimis sensum impressionibus afficitur, somnia evocat hisce impressionibus respondentia. In somno enim relaxantur corporis functiones et actus animi, sed non penitus abolentur: hinc animus' licet minus sui compoſ, suas tamen operationes producit, sed inordinate.

240. — Somnia habentur tanquam objecta realia. Cum haec somnia maxima vi fruuntur, atque pro systematis nervi intentione corpus et animum vivide ferunt, quin tamen somnum pellant, exsurgunt hec mirabilia et aliquando stupenda *sonnambulismi* facta.

1º Omnes enim sciunt hominem somno deditum quandoque foras ambulare et alia facta peragere, quae ad vim motricem pertinent. Imò aliquando hec omnia efficiuntur cum eadem et majori perfectione ac in statu vigiliae.

2º Nonnunquam in alienius scientie vel artis opera etiam incumbunt, que peragere valent aquæ ac in statu vigilie: sic scribunt, legunt. Difficilliores alienius scientie questiones, quas in statu vigilie nequit nequitate intelligant, aliquando persolvunt.

Præterea 3º sonnambuli in tenebris loca ingentibus circumdatae periculis sine offensione percuruntur; quin etiam opera, quæ maximam expostulant diligentiam et lunulæ auxilium, v. g., opus arte factum, picturam, in tenebris et oculis clausis aptissime perficiunt.

4º In sonnambulismo naturali eadem ferè reperiuntur phenomena quam in somno magnetico.

241. — II. *Factorum explicatio*. Id quod attinet ad phantasmatum imaginantis in statu vigilie, possunt effigiæ quædam hypotheses ad facta explicanda (1).

1º Ad phantasmatum reproductionem probabiliter requiritur motus fluidi nervi in cerebro inchoatus. (II, 129, 164.) Cerebrum enim generatim habetur ut organum imaginationis. Porro cum cerebrum, ut constat ex physiologia et anatomia, sit centrum totius systematis nervi, quod certò aliiquid conferit ad sensationes, fit ut hujus organi immutatio, sive ab intrinseco sive ab extrinseco determinata,

possit phantasmatum excitare quæ ordinem dicant ad diversa sensoria. Quamobrem morbi aut ieta corporis dispositio per systema nervorum phantasiam diversè immutare potest pro diversitate organorum quæ morbo corripuntur.

2º Potest etiam admitti in sentiente quadam dispositio ad taliter sentiendum relicta a diversis affectionibus. Licet enim sensitio acti non maneat, tamen remanere possunt quædam species, quas *sensus communis* per speciales sensus hasiut atque nunc ad imaginationem traducit, que ita cum rebus externis conjungitur.

242. — Verum ad somnia et presertim ad haec facta insuta plene explicanda, que statim vigiliae imitantur, commemoratione hypotheses, sicut et aliae quæ effigiæ solent, impares sunt. Scimus tamen haec facta morbidam semper arguere in sonnambulismo dispositionem, neconon magnam systematis nervi perturbationem; quoicunque phantasia in ipsis ingenti pollet mobilitate ac vigore. Hinc cum in somno non penitus sopite remaneant facultates intellective, sed plus minus ex parte factæ esse possint, fit ut imaginatione hisce facultatibus utatur, easque sibi subiectiat, propter summam qua pollet petulantiam. Sic haec mira peraguntur opera, que ceteroquin in statu vigilie semper a phantasia maximopere pendunt.

Fatores tamen facta que ambitum nostrarum facultatum naturalem exsuperant, nullo pacto naturaliter explicari posse. Igitur in horum factorum causa eruenda non est cur configuiamus ad has hypotheses insolitas quæ natura compositi humani repugnant, atque vinculum animi et corporis ita remissum et laxum faciunt ut animus possit a corporis vinculo quodammodo solvi: ita cum rebus externis sine organorum interpositione communicaret. Ita enim hypotheses nullo stabili fulcuntur fundamento. Quid enim vetat quod in sonnambulismo, qui dicitur naturalis, inventiar idem principium oculum cuius praesentia meritò suspicari potest in sonnambulismo magnetico? Daemonum enim intercursus existere potest in utroque somno. Id enim probabilius evaderet, si consideraretur hæc facta rarissimè contingere, et in quibusdam adjunctis quæ jure suspicionem dignere possunt.

(1) R. P. Tongiorgi, *Psych.*, I. III, c. 1^o.

ARTICULUS II.

De actu intelligendi seu de idearum natura et origine.

243. — A sensatione ad intelligendi actum migrare oportet, cuius naturam et genesis hic palam facere cupimus.

Hæc questio sane est maximi momenti, licet non habetur, ut plures inepti arbitrii sunt, tanquam fundatum et cardo totius philosophiae et theologie scholastice.

Quæstionis status. In homine duplex distingui debet ordo cognitionum, quarum alia versantur circa concreta, ut concreta sunt, atque ea referunt cum qualitatibus sensibilibus; alia verò versantur circa universalia et abstracta, que a conditionibus omnibus individuantibus praescindunt (21; II, 184). Sic homo non modo cognoscit hoc triangulum in charta delineatum, hunc hominem Petrum, hoc animal, etc., verum etiam cognoscit triangulum in genere, humanitatem, animalitatem, etc. Prima cognitione etiam competit brutis, et exinde vim sensitivam non praetergredi; alia que propria est hominis et spirituum, est cognitione intellectualis, cuius objectum est universale.

Hic ergo queruntur philosophi quomodo mens cognoscat universalia, necessaria, immutabilia, etc., licet ipsa et res omnes quarum experientiam habet, sint singulares, contingentes, mutabiles, etc.? Undenam igitur sic repetenda haec universalitas, necessitas, immutabilitas, etc., ideas, seu quemadmodum mens devenire possit ad ideas universales sibi comparandas? En quæ ab antiquioribus temporibus philosophos occupat. Controversia potissimum versatur circa ideas primitives, fundamentales, seu circa primos conceptus; nam primis essentiarum conceptibus semel adeptis, ad alias ideas explicandas facile devenimus.

244. — Distinctio haec sensationum et idearum neminem qui accurate facta interna perpendit, fugere potest. Quia enim in discrimen revocare posset hominem habere ideas universales, quæ omnibus individuis ejusdem speciei convenient, et simul ab unoquoque singularium præscindunt: v. g., ideam trianguli, ideam hominis, ideam ani-

malis, etc.? Istæ ideæ omnibus — aut triangulis — aut hominibus, — animalibus, etc., existentibus et possibiliibus convenient, id eoque sunt universales. Præsentiam in nobis ejusmodi idearum clare et indubie renunciat conscientia.

Præterea non minus evidens est nos per sensus cognoscere individua, v. g., *hoc* triangulum lineis alibi delineatum, *hunc* hominem Petrum, etc.; ejusmodi perceptiones soli individuo cognito convenient. Ordo igitur idearum est plane diversus ab ordine sensationum, inquit est isto longè nobilior. Hinc præsensæ questio non est de nomine, sed de re, neconon versatur circa nobiliorem hominis operationem.

Jam verò ut *Ideologiam* ordinare aggrediamur, 1^o naturam conceptuum universalium determinabimus, 2^o veram sententiam circa originem idearum exponemus et proponemus, denique 3^o falsa systemata, que nostra aetate mentes plus minusve detinent, confutabimus.

§ I. De natura conceptuum universalium.

245. — Quæstio hæc de universalium natura, seu de objecto idearum universalium, animos philosophorum semper detinuit, eosque saepenumero in errores oppositos distractit.

I. Falsæ sententiae.

Falsæ opiniones in hac re ad tres revocari possunt: nominalismum, conceptualismum, qui a nominalismo vix differt, et realismum.

1^o *Nominalis*, duce Roscelino, contendebant universalia non dari nisi in meritis *vocibus*: hinc nulla universalitas sive in conceptibus, sive in rebus; quamobrem non daretur universale metaphysicum, neque universale logicum, sed dulat taxat universale in *significando* et quidem ex *instituto* vel benefacito: voces enim sunt signa arbitraryria (20).

2^o *Conceptualismus*, seu nominalismus mentalis, quem media aetate produxit Abailardus, admittit universalia, non solum in *vocibus*, sed etiam in *conceptibus*: at nullum modo in rebus: universale ergo est mere logicum.